

31

IOANNIS ARGENTERII

IN CLAVDII GALENI

PERGAMENI,

Artem Medicinalem Commentarius.



NON OMNI officio duo potissimum spectanda esse arbitror: Primū quid agere expediat, Secundum qua ratione quę agenda sunt, trātare oporteat. Itaq; cum nostrum officium sit docere, videndū quę & quot sint à nobis docenda; quaque ratione illa rectè explicare poterimus. Porrò docendorum numerum intelligemus ex notione finis nobis nunc propositi. Nā cum finis omnia quę in eum referuntur, potestate contineat: fit vtiq; vt ex eius consideratione, & resolutione, certus rerum numerus eliciatur, ita vt nihil superfluum, aut diminutum tradi possit. Sic enim Galenus docet non solum vniuersas medicinæ partes; sed etiam aliarum rerum numerum inuestigandum esse, constituique quod ex illis constat. Igitur cū artem medicinalem Galeni suscepimus explanandam: illa autem ex sua inscriptione pollicetur (quod & ipse author testatur) vniuersæ medicinæ tractationem, & aliorum omnium librorum, quos ille scripsit, compendium: cogimur vtiq; in operis huius enarratione omnia attingere, quę ad medicinam docendam pertinent. Sunt autem hæc in dupli differentia; quædam enim de vniuersa medicina dicuntur: alia vero ad singulas eius partes sunt referenda. Prioris generis hæc sunt, quodnam fuerit initium artis medicæ, qui illius inventores, & laudandi postea cultores, quid vniuersisque addiderit, mutauerit, aut aliud quod scire fit necessarium, vel laudabile præstiterit; quid præterea, & qualis facultas sit ipsa medicina, quodnam illius subiectum, quis finis, quę, & quot partes; Hæc enim vt de vniuersa arte dicuntur, ita si ignorantur, frustra alia quę in ea continentur, docere tentabimus. Cæterum quum operis cuiuscunq; explicatio habeat quædam etiam communia: alia vero propria singulis tractationibus, & rebus quę in eo docentur, cogimur eadem ratione prius quam ad hæc perueniamus, illa inuenire & exponere. Sunt porrò communia vniuerso operi quę πρότερη θεωρία à Græcis dicuntur: à nobis vero prælectiones haud ineptè vocari possunt: atq; hæc quidem plura, aut pauciora, ponunt, prout dubia quædam sunt, & obscura in quibusdam operibus: in aliis vero nota & perspicua: Sunt tñ decē hæc in vniuersum: libri author, inscriptio, intētio siue scopus, vtilitas, diuisio, difficultas & facilitas, subiectum operis, dignitas, proportio & comparatio libri propositi cū aliis authoris operibus, ordo quo vitur author, quemque sequi vult doctor. Iam vero docendi ratio fit methodo, cuius vim & usum nos explicare oportet, ne temerè aliquid docere tentemus: & qm̄ etiam de doctrinis Galenus initio huius operis agit. Igitur cum inuenierimus agendum esse de his, quę ad totam artem, & singulas illius partes pertinent, necnon de illis, quę communia sunt vniuerso operi, & propria his, quę in eo docentur: Ac præterea quærendam esse docendi rationem, & viam, qua illa omnia explicari possint: nunc videndum de quoniam ex propositis trātare prius oporteat. Postulat quidem docendi ratio, vt is qui artem suscipit explicandam, absq; operis alicuius enarratione, primo loco explicit quę communia sunt cæteris, quę in ipsa arte docentur, ipsi vero medicinæ propria: Sed quoniam secundo capite Galenus medicinam definit, & commodè eo loco alia quę commemorauimus de ea esse enarranda, doceri poterunt, sequemur operis ordinem cui ex nostro instituto sumus addicti, & primum prælectiones expediemus: dein de doctrina docēdiq; ratione (qm̄ ea re primo capite agit author) differemus. Postea vero quę communia sunt arti nostræ diligentius pertractabimus. Postrem illius & operis partes explanare aggrediemur: habent enim illa cādem tractationem, qm̄ in opere docentur quę propria sunt arti. Porrò vniuersa πρότερη θεωρία, nonnulli ex interpretibus huius operis (vt Akachias) prætermittunt, idq; temerè, quandoquidem non solum videmus ab omnibus Græcis & Latinis philosophis, qui aliorum libros enarrant, ea proponi, & maximo studio ac diligentia doceri: sed etiā rei natura postulat, vt præcedant cōia, sequātur vero propria: Addo quod horū explicatio luculentiore & ornatiorem interpretationem reddit, ac lectorem, auditoremq; excitat, totq; rebus præcognitis alacrirem facit ad ea quę opere continentur perdiscenda. Alii vero (vt Manardus, & Montanus) pauca duntaxat ex illis attingunt, nec ea quidem suo loco. Nam illi statim ab initio querunt

Ioannis Argent. In Artem Medic.

A

quoniam